

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Qvintae Partis Iohan. Eckii In Lvtherum Et Alios. Tomvs ...

Homiliarum de Sanctis. Homiliae V. de speranda uictoria ex Turca, ad
Reuerendissimum Cardinalem Tridentinum, additae

**Eck, Johannes
Luther, Martin**

[Augsburg], 1534

VD16 E 392

Homilia secunda in die conceptionis virginis matris.

[urn:nbn:de:bsz:31-62128](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-62128)

De conceptione

Dauidi promissa seruauit: Dicit autem iudicium hominum arbitrantium ipsum propter peccatum Dauidis ei ademptum: Benedictionem promissam: quod tamen factum non est ob insignem ipsius penitentiam & cor ardentissime contritum ad exemplum omnium peccatorum, ne desperent de misericordia Dei Atque haec iam super euangelio dicta sufficiant.

Homilias reliquas huius euangelij require in festo natiuitatis Mariae.

Homilia secunda in die conceptionis uirginis matris.

Tota pulchra es amica mea & macula non est in te Can. 4.

Dilectissimi in Christo fratres, Hac tam solenni festiuitate, per uniuersam ecclesiam catholicam cum omni gaudio summaque alacritate exordium recolumus nostrae salutis, quam nobilissima anima Mariae creata & sanctissimo corpusculo est infusa, citra omnem originalis peccati contagionem, quod nulli alias hominum contingit, nisi Mariae & Christo domino: Eaque anima sanctissima ab ipsa sancta & indiuidua trinitate electa est ex uniuerso mundo, ut mater fieret filij Dei, ideoque omnium preciosissima a deo redimita atque donata est, praeter omnibus omnium hominum animabus, quotquot ab initio mundi ad finem usque sunt conditae: Quam itaque hodie Maria concepta sit in utero Annae, merito gaudeamus omnes, illique congratulemur: quam sicut ipsam deus filius elegit matrem, deique eius conceptione gauisus est: ita & nos collemur matrem nostram omnique tum gratiae tum misericordiae parentem esse conceptam: Immo mundus totus exultet, tantam sibi iam hodie contigisse aduocatum. Quidem ut inquit August. sanctus, quidue in uniuersa generis humani progenie posset oriri dignus, hac ipsa uirgine, quam sibi deus elegit & preelegit habitaculum: Gaudete itaque & exultate angeli, quam illa iam nata est, cuius ruinas restitutus est angelorum, letamini & uos primi parentes nostri Adam & Eua: uestrum. n. semen iam hic caput conterit serpentis: & filius ille educet uos de lacu miseriae, in quo non est aqua:

Gaudete etiam uos quotquot in terra uiuistis homines omnes, siquidem nunc redemptoris uestri mater concepta est: Exultate & O cceli, quia concepta iam est illa cuius filius nouos in caelis facturus est ciues: Sed quod obstat quin dicam aperte, Cuiuscunque hominis anima non letatur de tam sancto uirginis matris conceptu, frustra se Christianum iam putat, nec partem expectabit hereditatis aeternae: Gaudete & uos mulieres omnesque sexus exulta muliebris, sublata namque iam est maledictio Euae, & per Mariam in Benedictionem, imensamque dignitatem & laudem conuersa, letamini in domino per omnes, & congratulamini filio Dei, attenta aure percipientes laudem, qua ipse matrem suam dignatur inquis: Tota pulchra es amica mea &c. Ave Maria.

Hoc ipso, quem coram facere institui, sermone, dilectissimi, Breuiter de peccato originali nonnulla dicemus auxiliante gratia dei, deinde de quanta gloria, gratia, & dignitate uirgo mater in sua conceptione sit ab omni istius peccati contagione diuinitus preseruata. Et principio quidem quam ex Neochristianis sunt, qui contendunt peccatum originale nihil esse aut certe commentum merum, ex ipsis ante omnia scripturis probandum nobis occurrit, omnes in uniuersum homines in originali peccato nasci. Neque enim hodie aut heri nata ista heresis est, iam diu eadem tenuit Pelagius & alij quidam, quos Hieronymus atque Augustinus ualide impugnarunt: confutarunt etiam illam concilia Milenitana & Carthaginensia. Mirum tamen hoc sit, scilicet istos ea esse temeritate, ut ore impudentissimo sancto reluctentem spiritui, peccatum originale in scripturis manifestissime exprimentem, siquidem ita Dauid ecce inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: Quid quod aptissime etiam Paulus fuisse nos natura filios irae prohibet non seculis atque ceteros: & alibi quod ait Omnes peccauerunt & egent gloria dei, & aperti deinde Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt: Aut non sunt haec manifesta uerba: quibus probatur omnes nos natura esse filios irae, unde colligitur etiam filios iram incidisse diuinam: & quandoquidem peccauerunt omnes, ipsos etiam filios a peccato non esse immunes, ut recte

Peccatum originale.

Hierony. August.

Psalm. 51.

Ephes. 2.

Rom. 3.

Aug.

Psalm. 109.

Gene. 3.

Zach. 9.

Rom. 5

ut recte dixerit inde Paulus, Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: Ecce quod multi sint peccatores propter inobedientiam Adæ: sed quomodo interim alios homines potest Adā facere peccatores, ut illud tamen non pertingat filios: constat igitur omnes homines in originali peccato concipi.

Generatio hominis.

2 Quod quum ita sit etiā hactenus ex scripturæ testimonio ab ecclesia constanter obieruatum, uideamus iam & dispiciamus, quid sit illud quod peccatū dicimus originale. Mitto autē hic quod tum philosophi, tum medici, de hominis disputant conceptu, dicentes sperma humanum primis diebus septem assimilari lacti, deinde nouē sequentibus fieri massam sanguineā exilib. hinc inde diductis lineis distinctam, post hæc 12 alijs confirmari in carnem, reliquis autē 18 in mēbra formari simul & discerni: ita ut primum statim quæ principē locum obtinent conformentur, puta cor, hepares, cerebrum &c. ad extremum manus & pedes, eorū quod interpositum est tempore quicquid in homine est, ut stomachus, uesica, pulmo, splen, umbilicus, ossa, uenę, cutis, musculi, cartilagine &c. potest tamen id ipsum uel tardius uel celerius absolui secundum quod calor uel intensior uel remissior est, & constitutio melior: formatio enim corporis masculi perfici potest diebus 35 uel 40 uel etiam 45 & tunc morietur die 70 aut 80 aut 90 nasceturque deinde mense 7. 8 aut 9. Ridiculū itaque est quod matres singulis conceptibus equatilia supputant tempora, quod & absurdum & impossibile est, nāq; illa in Machabeis mulier mensibus 9. fouerat conceptum, unde & dixit fili mi miserere mei quæ te in utero nouem mensibus portauit, sed & sapiens de seipso dicit: Decem mensium tempore coagulatus sum, ubi tu 30 dies semper pro mense supputabis. Est & circa femellas autore Augusti. diuersitas quædam, quum ubi corpusculū masculū 40 diebus format, femella dies requirit 80 quous id ipsum quod plus minusue esse potest. Quandoquocumque autē id fiat, nos hic magnopere non laboramus, neque enim prius anima infunditur, quæ corpus formet, singulisque perfecte organis instruatur, Tunc tandem quum iam corpus omnia habent hominis mēbra, in momento ait Augusti, anima a deo creatur, simulque creando corpori infunditur, ut sic paruulus efficiatur homo uiuens moueaturque, eodem uero plane momento etiā ille peccatum acquirit originale. Hæc eo recte sui lubentius, ut dum auditis conceptionē celebrari B. Mariæ, nō intelligatis nos eo ipsam uenerari quæ sic concepta sit, sed potius quomodo sanctissima sua anima mundissimo sit infusa corpusculo, sicque intelligitur de conceptione passiva non actiua.

Aug. q. 58 lib. 5. q.

1. Mach. 7 Sap. 7.

De eccle. dogm.

3 Quando itaque iam constat, quomodo paruuli corpus formetur in utero matris, simulque & anima infundatur, & peccatum accedat originale, queritur iam unde illud adueniat, neque enim id ipsum habet paruulus ex deo, qui peccati ois expers est, neque ex anima, nam & ipsam nullius labis participem omnino mundissimā creauit Deus, sed neque ex carne, neque. n. illi peccatū inesse potest, neque, ut maxie insit, infundere illud in animā poterit, quum nemo det quod nō hēt, Neque uero ex parentibus, id ipsum accedit, qui per baptismū ab eo sunt liberati, & possent forte ab oī esse peccato imunes: Ex Adamo itaque puenit illud, longaque origine manat, ita sentiente Ambrosio, quum corruptio in carne permanet, propter offensā diuinā, siquidē finia aduersus Adā, placata, manet firma & inconcussa, atque ex corporis consortio anima etiā quadā labe inficitur. Oris ergo originale peccatū in aīa hoīs, dum corpū unitur, quod format ex semine, pueniente a primo homine transgressore Adam: Quocumque oēs hoīes ab Adam descendāt, nō est quisque eorū qui peccato illo careat, nisi iij qui singulari prerogatiua ab eo sunt liberati: Et est hoc quidē quod hactenus diximus, neque oīno nihil, nec tñ oīa: age igitur propius ad rem accedamus, eaque nō ita pertransennā, sed apertius explicemus. Quum creatur hominē deus, rectum utique fecit & creauit eū, idque singulari quadam factū est gratia dei, quæ aīe Adę infusa est, non per se tñ sed & posteritate tota, ita sapiēs, creauit, inquit, deus homines & secundum imaginē suam fecit illum, atque secundum se uestitus uir illū uirtute: Eius uirtutis munus proprium extitit, ut faceret inferiores animæ

Ambrosi.

Eccle. 7

Eccle. 17.

Iustitia originalis

De conceptione

Ansel. uires & concupiscentias plane obedire rationi: Vnde sequitur, Quod si Adam non peccasset, neq; in ipso nec posteris suis aliqua fuisset concupiscentia praua, nec ulla inordinata cōmotio sensualitatis (quam dicimus) aduersus rationem. Sed neq; mala fuisset aliqua ex carne cogitatio, unde aliq; ex alio fuisset offensus: Et hinc quidē illa *Gene. 3* Adā & Euzē non etiam inde erubescentiū nuditas, proueniebat enim illud ex hac originali iustitia quæ faciebat omnia mēbra obtemperare rationi, Ista porro originalis iustitia factura etiā fuerat, ut tēpore quisq; suo edens & bibens nullam unq; uel famē uel sitim uel deniq; sentiret aegritudinem, Nullum animal ipsi nocuisset mordendo, impetendo, uorando, non ignis, non aqua: Omnia enim animalia homini paruissent, fuissetq; ut in regno suo rex, ita Adam in paradiso. Porro donum illud originalis iustitiæ, ut se suisq; posteris acceperat Adam ita uicissim pro se illisq; amisit, non secus q; rex aut iperator si cui arcē confert occupādam pro se suisq; successoribus, q; si aliquo cōmisso mereatur ille, ut si feudum auferatur, illud utiq; sibi suisq; posteris amiserit omnibus.

4 Est ergo originale peccatum originalis iustitiæ defectus, quam homines habere debebant, hincq; fit, ut efficiantur filij irē, omnes enim qui ex Adam & uirili semine cōmuni nascuntur lege, eandem habere iustitiam deberent quam Adam suscepit a Deo, dumq; eam quam non habent, habere debēt, id ipsum sane illud est quod peccatum dicimus originale. Vt tamē plene omnia intelligatis, scire uos conuenit in peccato originali esse duo, alterum defectum illum seu priuationem originalis iustitiæ, illudq; quū sit formale, in anima est, & ita peccatū originale formaliter est priuatio, sine enim iustitia illa, odit hominem Deus, ob amissum magnum illud gratiæ suæ prætium: Alterum materiale est humanae carni insitum, incensio nimirum & libido ista efferuescens, maligna & uirulenta, quæ dominatur in homine, ipsaq; tum inficit, tum irritat concupiscentiam, ratio nirefistit, dum eam ad omne opus bonum tardam efficit & ignauam, pronam uero

& præcipit ad peccata: Inde promanāt, præsumptio, temeritas, liuor, superbia auaritia, ambitio, omniū autem maxime, uersa libidinis & luxuriæ concupiscentia, Vitium porro hoc putat Augu. profectū esse ex illo serpentis sibilo in paradiso, aut ex fructu uerito: Tu quoq; quid Paulus dicat ausculta, Ego, inquit ille, carnalis sum uenundatus sub peccato, non enim quod uolo bonum hoc ago, sed quod odī malū illud facio, si autem quod nolo facio, consensio legi quoniam bona est: nunc autem ego iam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum, scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum, uelle adiacet mihi, perficere autē bonū nō inuenio, non enim quod uolo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago, si autem quod nolo illud facio, iam nō ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū: Inuenio igitur legem uolenti mihi facere bonum, quoniam mihi malū adiacet, consensio enim legi dei secundum interiorē hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis &c. En tibi Paulum docentem quo inclinet ratio, quoq; concupiscentia uergat quæ non inhabitat tantū sed & regnat in membris, unde & legē uocat membrorum, quæ alias lex carnis, tyrannus, uitium naturæ & languor, fomes & concupiscētia dicitur, Eo facit etiā illud Iacobi, Vnusquisq; tentatur a concupiscētia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia quum conceperit, parit peccatū: peccatum uero quum consummatū fuerit, generat mortē: Hæc illa aegritudo & languor hominis longe acerbissima est, quam hic in mūdo habere potest, ab ea enim pro uocatur ad omne peccati genus, Hic iste languor estq; facit, q; omnis omniū hominum sensus & cogitatio ab adolescētia sua uergit in malum: Hic ipse languor graue & molestum nobis efficit quicquid bonū est: siue enim orandum est, siue inuisendū templum domini, siue studēdum, siue uerbum dei audiēdum, Ecce languet homo, en torpet, molesta sunt ei omnia, statim ipm capit satietas & fastidium rei nimis longa & diu

Contra Iulian.

Rom. 7.

Iac. 1.

Gene. 8.

Mala concupiscentie.

Sap. 9

Gene 3.

& diuturna sunt ei omnia: Rursus si saltan-
dū sit, si spectandae choreae, si ludendū, can-
tandū, currendū, aut simile nugarū genus
exercendū, ibi adcurritur, nec quicquid ibi est
molestum: Aut nondum satis agnoscitis
aegritudinem illam, quae & animi vires &
corporis debilitat atque grauat: corpus enī
quod corrumpitur aggrauat animam: Et
iste quidem fomes exaestuans subinde &
feruens, ex peccato Adae nascitur, qui iusti-
tiam amisit originale, statimque postea Adam
& Eua senserunt istum languorem, & pu-
gnā cum ratione sensualitatis, nonne enim
mox post peccatum agnouerunt nuditatē
suam, Neque uero refert Moyses ipsos antea
non cognouisse se esse nudos, sed quia non
erubuerint prius, postea autem tandem in
elinationem hanc malignam senserunt, &
comotionem adfectionemque in membris
suis, ideo enim tūc primū pudore correpti
sunt: Et nos quoque in nobis iam ipsis facile
experimur, quid in sit nobis, radix nimirū
omnis peccati: quare etiam & quomodo nūc
omnis iuuentus uelut equus ferox praeci-
piti cursu ruat in malum, non est quod paruus
los quicquid doceas mali, iam ante innatum
habent magistrū, qui eos omnem doceat
malitiam, Vsq; adeo miserrimi sumus ho-
mines, Ita ab immensa decidimus maiesta-
te sublimique nobilitate, in qua deus homi-
nem condiderat, ut ea iam simus calamita-
te, tamque indurata in malis omnibus acer-
bitate, tam peruersa, praua, & perditissima
natura, ut omnis etiam cogitatio nostra tā-
tū ad peccata uergat & uitia: Ab eiusmodi
tamen labe & contagione peccati ma-
gna dei clementia, immensaque misericordia
preseruata est uirgo mater Maria, quae sine
peccato originali, citraque infectae carnis lan-
guorem concepta est, Eam nos iam omnes
suppliciter inuocemus & ce.

Homilia tertia In fe- sto conceptae uirginis matris.

Quotquot ex Adam nati sunt ho-
mines in anima sua defectum ha-
bent gratiae originalis, quae tamē
illis inesse debebat: id ipsum autē est quod

peccatum dicimus originale: In corpore
quoque concupiscentiam habent mouentē
& allicientem ipsos ad omne malum, & res-
trahentem ab eo quod honestum, bonū,
deoque beneplacitum est: Peccatum porro
originale in Baptismo remittitur, ita ut am-
plius non imputet ad malum deus paruus
lo, quod originali careat iustitia, sed gratia
ei suam largiatur, stola insuper innocentiae
exornet illū, unde filius eternae salutis effici-
tur, dū mō in illa perseueret inocetia: Vestis
tū illa nō usque adeo munda est, ut olim in
paradiso fuerat, quā adhuc peccatum origi-
nale labē & maculā suā, reliquias istas pri-
stinas non dimittit, quae licet peccata non
sint, sunt tamē effectrices peccati, & ad pec-
candum grauitur alliciunt, numeroque in pri-
mis quaternario comprehenduntur, Primū
locum obtinet peruersa illa concupiscentia
carnis, de qua superiore homilia diximus,
ea enim in se peccatū nō est, Iacobo teste,
& tamen ex peccato est, ipsa quoque ad peccan-
dum prouocat, & quā conceperit, nil nisi
peccatum parit: unde fit ut non raro pecca-
ti nomine significetur, non secus quod si quis
characteres ornatos & concinnos pingat,
is manum dicatur habere agilem, manūque
eam esse suam, ubi nomine manus scriptu-
ra uenit intelligenda, quae per manum exa-
rata est tantum, autore August. Atque illa
etiam causa est, quamobrem Paulus huius
modi languorem carnis peccatum uociter
quae tamen peccatum non est, utut pecca-
tum pariat: Eodem facit quod August. ait
cōcupiscētiā dimitti, nō ut nō sit, sed ut nō
imputetur. Ex ea autē concupiscentia pra-
ua oritur illa continua in nobis pugna car-
nis & spiritus, hostili enim conflictu ista
aduersus hunc, & hic contra illam concu-
piscit, nec desinit hoc bellum, sed ad Bustū
usque perseuerat & mortem.

Remanet etiam nobis ex originali pecca-
to post baptismum frequens & dura cor-
poris passio, hinc enim fames & sitis, hinc
frigus & aestus, inde quoque febres, pustulae,
& pellere quam nescit medicina, podagra,
pestis, calculi, & quid denique non: Omnes
sane hinc morbi scaturiunt, quotquot ho-
mini, uel a natura uel qualibet externa ui
adueniunt, omne id utique uitium est pec-
C

Hugo,
Anselm.
Iac. 4.

Contra
Iul.

de ho. cō-
iug.

Gala. 5.